

100

Ursprung Schrift

ad

MS

U. q. 76







4

SOLIDA  
IVSTA, ET ORTHO-  
DOXA DETESTATIO PA-  
PÆ ET CALVINISTARVM,  
IN QVA INVICTE DE-  
MONSTRATUR, QUID ABOMINA-  
TIONVM, ET BLASPHEMIARVM, DOGMATA  
*utriusque fecis, Papiſtica & Sacramenta-  
ria, contineant.*

CONCINNATA, ET  
*UViteberga in fine Collegij privati Theologici  
recitata: Iam verò*

Autoritate & approbatione Reverendiſſimæ  
Facultatis Theologicæ in Acad. VViteb.

*ad rogatum amicorum publicata,*

*ab Authore*

**MATTHIA HOE AB HOENECK,**  
AVSTRIACO, SS. THEOLOGICÆ  
CANDIDATO.

LECTOR I S.

*Qui vis noſſe Papam, qui Caluinistica Monſtra  
Scire cupis, chartam hanc volve, revolve, SCIES.*

**UVITEBERGÆ**

*Typis Zacharie Lehmanni. Anno 1601.*

5. 2.

2010  
IVSTA ET ORTHO  
DOXA BAPTISTATIO PA  
PA ET CALVINISTARVM  
IN OVA INVICTE DE  
MORSTRATVR QVIBVS ABOMINA  
TIONE ET BLASPHEMIA  
COMMITTANTVR  
CONFERENTIA  
Nürnbergensis  
Auctoritate & approbatione  
ad regnum unicum  
ATTHA HOE NB HOLTZECK  
L. E. C. T. O. R. I. S.  
UNTERBERG



REVERENDO ET MA-

GNIFICO VIRO

D. POLYCARPO LY-  
SERO, D. THEOLOGO EX-  
CELLENTISSIMO, ARÆ ELECTO-  
ralis Saxonicae Antistiti primario, dignissimo: Do-  
mino, Patrono, & Promotori, Quasi pa-  
renti observandissimo,

S. P. D.

**E**Do jam Execrationem Papa, & Calvi-  
nistarum, Vir Reverende, & Magnifice, non tam a se  
proprio, quam multorum amicorum continuâ sollici-  
tatione adductus: quibus, omnino petitionem denega-  
re, iniustum esse arbitror: quippe, quod iis recitata, conscripta, &  
concinnata est. Cum enim Commilitonibus meis, & numero pluri-  
mis, & eruditione ac virtute ornatissimis, in sine Collegij mei  
privati Theologici, valedicerem, hanc oratiunculam Symboli  
in loco ipsis donavi, & exhibui. Tantò autem libenti-  
us in evulgationem consentio, quantò liberaliorem tam Sacra-  
mentariorum, quam precipue Papistarum hoc tempore vocifera-  
tionem, furorem, & rabiem deprehendo: qui nunquam non ido-  
lum suum illud, Papam, bestiam bicornem, Cerberum, & Rhada-  
mantum Romanum, pro Occumenico, SINCERO, Orthodoxo, &  
genuino Ecclesiae verae Capite jactitare solent: Horum effreni im-  
pudentia, ut ego quoque pro personâ & tenuitate meâ aliquid oppo-  
nerem, etsi non necessarium, utilissimum tamen duxi: quandoqui-  
dem, Reverendus noster Pater, vir Apostolicus sincerissimus, Dn.  
D. Lutherus unice optat, ut omnes omnino homines, senes, juve-  
nes, pueri, infantes, Masculi & feminae ab ipsis in cunabulorum

A 2 primor-

primordijs testentur, quid de Romano illo C. codamone sentiant.  
Et quemadmodum, exorto aliquo in urbe incendio, ἀνευ μεγάλης  
ἀεσσωποληνίας aniuersi concurrere solent: Ita & hęc fieri posse  
ac debere apud T. Rev. Magnif. & quosuis sine praiudicio & pri-  
uato affectu iudicantes, ultrò in confesso est. Quid apud Iesuitas  
frequentius? quid usitatus? quam quod indiscretim quibus pos-  
sunt, materias suppeditent, ad infringendam Evangelicam Luthe-  
ranam Ecclesiam sinceritatem Φαυομένως, καὶ σοφιστικῶς accommodat-  
as? Quid ni ergo nobis in optimā, quod ipsis in causā peruer-  
tissimā & deploratissimā licet, factitare liceat? Quid ni hoc i-  
psium à meā personā, & professione, omnino non alienum, sed per  
omnia ei consentaneum esse, asseverem? Quod autem Tuo potissi-  
mum nomini Reverendissime Domine Doctor, tractatio hac in-  
scribitur, sit, ut herū pagellarum Patronum magnum & exquisi-  
tum habeamus: qui eas contra quosvis virulentos morsus, & ca-  
lumniosas Invidorum insectationes vel solā nominis celeberrimī  
expressione defensare queat. Quid enim vel minutissimum à  
maledicorum ore ac labellis immune? Non ergo ego solus, sed uni-  
uersi Commilitones Te Patronum symboli illorum orant, gaudent,  
salutant, Interim, quin meam quoq; in T. Rev. Magnif. observanti-  
am submissam, & gratitudinem humilem simul declarare volue-  
rim, ne utiquam T. Rev. Magnif. dubitet. Vale Theologe excellen-  
tissime, Patrone mihi desideratissime, vale, Meq; tuo patrocinio  
fovere perge. Dabam ex Musæo meo d. 20. May. Anno 1601.

T. Rev. Magnificent.

addictissimus.

Matthias Hœ ab Hœeneck Austriacus,  
S.S. Theolog. Candidatus,



In nomine, Patris, Filij & Spiritus Sancti.

Amen.



Vplex est genus Ho-  
minum, Nobilissimi, Humanissimi,  
Doctissimiq; Domini commilitiones,  
quod Ecclesiam IESV CHRISTI te-  
neram adhuc existentem, & vix Parente illo, Beatif-  
simo Megalandro Luthero, renascentem, gravissimè,  
tùm olim, tùm etiamnum exagitare, & affligere con-  
suevit. Vnum, Romanensis illius Bestiæ: alterum,  
factionis Sacramentariæ. Et sane utriusq; catervæ  
dogmata tantam spirant errorum multitudinem, tan-  
tam fovent blasphemiarum amplitudinem, ut Re-  
verendus, & solus totius Germaniæ, in Christo, Pa-  
ter, & Præceptor noster Lutherus, sanctæ recordati-  
onis, rectissimè, pijsimeq;, Testamenti loco, colle-  
gis suis, contra synagogam Romanensium, tale vo-  
tum, viuâ voce, olim legaverit: Impleat Vos Domi-  
nus odio Papæ: de Sacramentarijs verò satis heroi-  
câ, & constanti gravitate pronunciauerit: Beatus vir,  
qui non abiit in Consilio Cinglianorum, nec in viâ  
Sacramentariorum stetit, nec in Cathedra Tiguri-  
norum consedit.

Nimirum, zelo domus Domini flagrantissimus,  
Lutherus noster, tantùm non ipso Diabolo diligenti-  
us cavenda esse, Pestilentissima Papistica & Sacra-  
mentariæ

Papistæ, &  
Caluisticæ  
seu Ciglia-  
ni B. Luthe-  
ro statim  
contrariissi-  
mi.

B. Lutheri  
Legatū pro  
Papistis.

In Epist. ad  
Præpositum  
Bremensem.

B. Lutherum  
Papæ, Cing-  
lonicem  
non imme-  
rito saluta-  
tamus.

ORATIO.

mentariæ gentis agmina adhortatus est. O parentem hunc præ alijs verè fidelissimum! O verba, O facta ipsius singula præclarissima, O hanc insignem *πραξιον*! tanto zelo, tanto ardore pronunciatam! Non attenduntur hîc ij, qui molli, & delicatulo brachio tractari cupiunt, qui tenellulis, & blandulis verbulis delectari solent: qui hæc rigorosa, dura, aspera nominare consueverunt: Regnat viget, viret spiritus Domini: triumphat, scribit, ait, eloquium Domini: tripudiat, feruet, & ardet lingua Domini. Non cum fratribus, & fidelibus, sed cum hostibus, & adversarijs, tum prophetarum, tum Iesu Christi agitur: quos scuticâ verbi diuini potius, quàm lectulo tenero excipiendos esse vobis vnicè persuadeatis velim, ô vtinam excindantur, qui perturbant vos, inquit Galatis Apostolus: ô vtinam excindantur qui perturbant nos, in fide, in moribus, in conscientiâ. Atq: hoc est, Commilitones lectissimi, quod hætenus in viginti octo disputationibus nostris Theologicis duo illa pseudodoctorum agmina, pro viribus nostris, præ alijs, vel maximè spectanda, secanda, & gladio Spiritus confodienda proposuimus: hoc est, quod hætenus sine rubore, tam Papicolas, quàm Sacramentarios, Pseudopphetas, homines profanos, palàm impios, execrandos, & blasphemos diximus. Id quod nunc, cum finis exercitij nostri appropinquet,

Qui perturbat vos, portabit iudicium, quisquis ille est. Gal. 5. v. 10.

O R A T I O

quet, repetendum fuit. Nolo enim vos, sine sym-  
 bolo aliquo classico, in mei memoriam observan-  
 do, dimittere. Proinde, huc mea præsens conten- Propositio.  
 det oratio: huc manibus, pedibusq; elaborabitur, ut  
 sub Trinitatis Sacrosanctæ auspicijs, & Papæ, eiusq;  
 Complicum, & Calvinianæ gentis odio vos imple-  
 am, impletos videam, sic visos dimittã, dimissos in Odi coetum  
 malignanti-  
 um, & cum  
 impijs non  
 fedebo.  
 Iniquos o-  
 dio habui.  
 Pf. 119. v. 113.  
 posterum amicè diligam, & Complectar. Quod,  
 dum in vestri gratiam facio, vestram quoq; bene-  
 volentiam, judicandi æquitatem, attentionis aurem  
 patulam, & patientem, officiosè, & diligenter implo-  
 ro.

Prodeat ergò illa Romanæ synogogæ Thais di- προσω-  
 lectissima, prodeat animal illud bicornedecantatis πρωτοίος  
 simū: Tu Papa & præsul Romane adesto, quid vel fa- Papæ.  
 voris vel odij merearis, quo titulo decorãdus, & hono-  
 randus sis, examinari sine. Proh Deū atq; hominem,  
 quod ingens μωρολογύκον, quod monstrū horrendum è Papa quis  
 velit esse.  
 specu prominet! Puto vos Christi Vicarium, Petri  
 successorem, Pastorem Oecumenicum, Parentem cre-  
 dentium, Ministrum Ecclesiasticum, orthodoxum  
 Theologum, Sectatorem Paulinum, Hominem no-  
 bis similem, expectare: Puto vos eum sperare, quem  
 amplecti, deosculari, de amare propensi futuri sitis:  
 sed fallimini: alium foetum rupes Tarpeia parturit: a-  
 liam prolem infausto planè partu enixa est. Pro Vica- Papa nõ est.  
 qui esse vult.  
 rio enim Christi apparet Christi aduersarius: Christi

ἄγχι-



ORATIO.

ἄντι χριστῶν ὅ, vt Paulus Apostolus loquitur: id quod vel  
 exinde manifestum est, quod Papa Romanus Christi  
 se Vicarium tam profusâ, & propudiosâ temeritate  
 iactitat: ille siquidem qui contra, præter, extra man-  
 datum Christi se ejusdem Vicarium nominat, pro i-  
 pssimo Antichristo reputandus est. utut ringatur, &  
 aduersetur vaferimus ille Iesuita Bellarminus, qui  
 ut palpum faciat suæ Thaidi, Papam Romanum i-  
 deò Antichristum esse negat, quia tantum Christi sit  
 vicarius: non aduersarius: In scripturis verò (ait Iesui-  
 ta) Antichristus dicitur is, qui extollitur super omne,  
 quod dicitur Deus 2. Thess. 2. quod certè non est, esse  
 Vicarium, sed hostem Christi, veri Dei. Et 1. Iohan. 2.  
 „ Antichristus dicitur esse is, qui negat Iesum esse Chris-  
 „ tum, ut se ipsum pro Christo venditat. Et Matth. 24.  
 „ Antichristus dicitur affirmaturus se ipsum esse Chri-  
 „ stum: quod sanè non est Vicarij, sed æmuli, Hactenus  
 „ Iesuita.

Nervus di-  
 sputationis,  
 quod sit Pa-  
 pa Antichri-  
 stus ipsissi-  
 mus.

Bellarmn.  
 Tom. 1. lib. 3.  
 de Antichri-  
 sto cap. 1.  
 fol. 85. ne-  
 gat Papam  
 esse Anti-  
 christum.  
 Fundamenta  
 Bellarmini.  
 fol. 856. lib.

Refutatio  
 fundamen-  
 torum Iesui-  
 ticorum.  
 1.  
 ἀντι χρι-  
 στῶν.

Sed mitesce Heraclite! Salua res est. Quid si gratis  
 as insuper pro dictis merearis, quid si tua verba cum  
 delectatione legamus, audiamus, in Te verò, ut mer-  
 cedem accipias, retorqueamus, Negas illum esse An-  
 tichristum, qui se Iesu profitetur Vicarium? rectè ne-  
 gas, quia contra Te est: at mendaciter negas, quia  
 contra veritatem est. Obsecro enim vos ornatissimos  
 Dominos Commilitones, iudicate ἀνευ ὑποκρίματῶ.  
 Illene, qui contra Principis mandatum, contra eius-  
 dem



dem indultum, contra Regis speciale privilegium, proprio ausu, propria temeritate Proregem, & vicarium Principis se iactitat, num talis in veritate est? vix puto. Talem se præbet hominem Pontifex Romanus: qui Iesu Christi cupit esse Vicarius, non rogatus, non delectus, non dilectus ab eo. Itane enim miserum Iesum Christum? itane impotentem habemus Regem, ut ipse vicario quodam indigeat? & tali quidem Vicario, qualem regno Diabolorum præficere, & melius, & convenientius esset? Num qui præter voluntatem Dei inebriatur, non contra voluntatem eiusdem illud facit? Plane: Ita qui præter decretum, iussum, & voluntatem Christi, ipse se venditat Vicarium, utiq; contra placitum, contra approbationem Christi talis pronunciat. Jugularis mi Roberte tuomet proprio gladio? Sed ex liberalitate nostrâ, paululum, recreationis causâ, ne in primo conflictu exanimeris, retine postulatam Roberte, quid Tibi videtur de confessione tuâ illâ, quâ Antichristum eum esse dixisti, qui se extollit supra omne id, quod Deus est. Attendite, hîc Iesuita hærebit, hîc Papam Antichristum proclamabit. Sic enim Papa noster bellatulus, à bellatulis suis hypocritis, & Canonicis Vulpeculis depingitur, laudatur, celebratur,

B

quod

ORATIO.

Talis erat  
Papa cele-  
stinus, ru-  
dissimus &  
insulsissi-  
mus Africanus.

Innocentius.

Bonif. VIII.  
in extravag.  
cap vnam  
sanctam.

Bald. in Pro-  
semo de  
statu.

N.B. Riforma  
tenentis a-  
ntici.



quod omnia iura in scrinio pectoris sui maledi-  
cti habeat, etiamsi Idiota, & sui etiam immemor  
sit, quod omnes mortales sibi habeat subditos  
(DEO hoc alioquin adscribitur) quod Romano  
Pontifici omnis humana creatura de necessitate  
salutis subdit: quod ei tradita sit omnis potestas  
in caelo, & in terra iuxta illud Matth. II. omnia  
mihi tradita sunt à Patre meo, quod non solum  
super omnia temporalia, sed etiam super ange-  
los iudex constitutus sit: quod rerum naturas im-  
mutare, & de nihilo aliquid facere possit, quod  
potestatem absolutam habeat pro arbitrio (Franc.  
de ripa) quod Papae potestas extendat se ad coele-  
stia, terrestria, infernalium. (Ant. Florent.) quod om-  
nia sint subiecta pedibus ipsius, iuxta Psalm 8.  
*oves id est fidelium animae; boves id est Iudaei, pecora  
campi, id est, Ethnici, volucres caeli, id est, beati  
celites, & pisces maris, id est, animae defuncto-  
rum in igne purgatorio: quod Deus terrenus  
sit. (Felinus) quod super universalem sit Ecclesi-  
am, ut in concilio Florentino determinatum est.  
Quod Papa Romanus à nemine in terris judica-  
ri queat (Bellar. Tom. I part. I. fol. 809.) quod Pa-  
pa sit summus iudex in controuersis fidei, & mo-  
rum dijudicandis (Idem fol. 953.) quod papae iu-  
diciū in rebus fidei, sit certum, & infallibile, &  
non*

ORATIO.

non ullo modo aliquid hæreticum definire possit. (fol. 956.) Hæc universa, & singula, Præsuli Romano, dignitates, & potestates Dei altissimi luculentè adscribunt: eundem pro Deo in proscenio Templi se ostentante, venditant, & sic iuxta Paulinum vaticinium Papam Romanum non præsumtiuè, sed oculari demonstratione Antichristum creant. Sed excipit Robertus, nondum declaratum esse, quod supra Deum Pontifex Romanus se extulerit. Hic iterum advertite, & nisi petitioni Iesuiticæ satisfaciam, veritatis laudem mihi publicè derogate. Quid, quæso, sibi vult illud, iuxta Philippum Decium Canonistam quòd Papa supra ius, contra ius, & extra ius (intel- lige tam diuinū, quàm humanum) omnia possit? Quid sibi vult illud, quod Carolus Ruinus Conf. 109. num. 9. ver. 5.) Papæ hoc Axioma tribuit, eum posse contra Pauli Epistolas statuere: hoc est, contra Spiritum sanctum, verum, & æternum Deum, aliquid decernere. Non enim voluntate humanâ allata est scriptura, sed Spiritu Domini inspirati locuti sunt sancti DEI homines. 2. Petr. 11. v. 21. Et omnis scriptura, per consequens etiam scriptura Pauli Apostoli, diuinitus est inspirata 2. Tim. 3. v. 16. Quid hîc dicemus? Nonne Papam Antichristum palpatis? Nonne

Papa se extollit, dicendo, quod ipse Deus est: Ergo Papa Antichristus est.

An Papa se extollat supra ipsum Deum.

Rsp. Affirmativè.

Fundamenta, quòd Papa se supra Deum extollit.

O R A T I O.

Papam supra Deum ipsum extolli videtis? Nonne Anathema ei cum D. Paulo indicitis: si quis enim aliud Euangelium prædicaverit, præter id quod à Paulo prædicatum est, etiamsi angelus è caelo sit, anathema esto. Gala. 1. Væ, væ Pontifici Romano: quia enim electum Dei organum profitetur, iuxta suum Euangelium iudicandum esse orbem uniuersum, quantas plagas merebitur Papæ, qui contra Pauli Euangelium se statuerè posse affirmat. Adde, quod Sigismundus Neapolitanus, Papæ hoc assignat priuilegium, ut contra verba Euangelij loqui, & decernere queat. Parcat nobis Dominus Iesus. quod talia referamus. Et quid multis opus? Quid <sup>Scriptura</sup> testimonia recitare refert, cum praxis sollemnissima satis in propatulo proftet? Nonne enim ille se extollit supra Deum altissimum, qui verba Iehouæ, verba Spiritus Sancti negat, mutat, evertit, oppugnat. Iam si quis talia in Papâ Romano conspicua esse inficiatur, hospitem, & rudem planè eum esse necesse est. Facilius sententiæ nostræ assentietur, si paucis sequentibus accuratius attendet. Spiritum Sanctum auditis clamantem: Inuoca Me in die tribulationis: & ego exaudiam Te; Dominum, Deum tuum adorabis & illi SOLI seruias Psal. 51. Matt. 4. Deut. 6. Papam auditis bo-

antem;

Rom 2 v. 16.

Præter  
probationes  
quod Papa  
contra & su-  
pra Deum se  
extollit.

Auditus  
verborum  
Spiritus San-  
cti & Papæ.



O R A T I O.

antem: inuocate non solum DEVM, sed omnes sanctos, (Lombard. lib. 4. Sent. D. 45. Bonaventura D. eadem q. 3. Bellarminus Tom. 1. lib. 1. de beatitudine sanctorum cap. 1. 2. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.) omnes Sanctorum imagines (Bellar. lib. 2. de reliquijs Sanctorum cap. 13. 17. 20. 21. 25.) Spiritum Sanctum habetis loquentem: Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. 1. Ioh. 1. Esa. 53. Papam legitis clamantem non sanguis Iesu Christi: sed satisfactio à Pontifice Romano imposita, & indulgentia, curat peccata præterita recompensando, & præservat à futuris cauendo. Anton pag. 3. titul. 14. cap. 20. Verba Dei sunt: non ex operibus saluamur Rom 3. 4. Ephes. 2. Verba Papæ sunt: operibus saluamur. Christus ait: confide fili Matth. 9. Papa boat: dubita fili: Christus in instituendo Sacramento Eucharistico iubet OMNES ex calice bibere Matth. 26. v. 27. Papa Romanus sine suo indultu omnes ex calice bibere sub Anathematis fulmine prohibet. Per Paulum Dominus loquitur: fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. 1. Co. 3. Papa per Sues (suos inquam) Iesuitas, & Doctores scribit: fundamentum aliud poni potest præter id, quod positum est, Iesum Christum, Papa videlicet

Marc. 14.  
Lucæ 22.  
1. Cor. 11.

B 3

delicet



ORATIO.

delicet Romanus. Et quis cogitando, nedum recensendo omnia complectatur, in quibus Præsul ille, & Rhadamantus Romanus, se supra Deum extulit. Palmam igitur veritatis mihi tribuetis: & Bellarmino nostro gratias agetis, quod, quia illum Antichristum esse asserit, qui se super Deum effert, & hoc iam sole clarius de Romano Pontifice evictum est, Papam suum pro Antichristo solenniter proclamavit. Nimirum sic dignum esse Papam deprehenditis, cuius odio impleri vos optavi.

Insusurrat Iesuita reliquas Antichristi notas, Papæ Romano quoque applicandas: quarum una est, quod neget Antichristus, Iesum esse Christum Deum immortalem! quam hinc tripudiat, quam exultat, & gessit Esauita noster. Sed vereor ut canat *ἐπιβίβιον* ante victoriam: Vobis ego palmam faciam, à Papâ Romano, Iesum esse Christum, horrendissimis verbis quoque negari. Novistis dubio procul, eum esse Iesum Christum, qui unicus, & æternus Dei filius, qui verus & naturalis homo, in unitate personæ existit, cui iuxta carnem sacratissimam data est omnis potestas in cælo, & in terrâ: in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat, in quo thesauri scientiæ, & sapientiæ omnes sunt reconditi: qui se  
cun

Papa negat  
Iesum esse  
Christum:  
Ergo vel i-  
pso Bellar-  
mino teste  
Papa Anti-  
christus est.

Matth. 28.

Coloss. 2.  
Coloss. 1.

O R A T I O.

cundum humanitatem suam, gloriam infinitā,  
 & æternam accepit, qui regnat medius inter ho-  
 stes suos à mari usq; ad mare: qui cōsudet ad dex-  
 teram maiestatis in excelso, ut universa in cœ-  
 lo, & in terrâ, etiam iuxta carnem impleat: qui  
 adhuc in mundum venit, ut ipsius livore omnes  
 gentes sanæ fiant, ut sanguis eius nos mundet ab  
 omni peccato, ut ipse solus torcular calcandum  
 calcet, & solus apud Patrem mediator existat, u-  
 nus siquidem est mediator Dei, & hominum, ho-  
 mo Iesus Christus. Hunc Iesum, hunc Christum,  
 talem esse, tam apertè Papa negat, quàm aper-  
 tum illud est, Solem splendere in meridie. Ete-  
 nim expende eius excrementa fœda, Esauitas di-  
 co, quos oris instar habet: expende præcipuè Re-  
 verendissimum illum, salvâ reverentiâ, patrem,  
 Robertum Bellarminum, Cardinalem, nonne  
 disertissimis verbis omnem gloriam, omnem  
 maiestatem, omnem honorem diuinum Christo  
 Iesu, quatenus homo est, derogat, adimit, absce-  
 dit? qui in disputationibus suis Iesum Christum  
 hominem à solio throni sui deturbare, & ex mū-  
 do hoc penitus relegare, cumq; Sacramentarijs  
 in Palatium quoddâ & carcerem includere cona-  
 tur: immò verò, qui adeò negat Iesum esse Christum,  
 hoc est, Sacerdotem, & Pontificem maximum,  
 redem

Dan. 7.  
 Psal. 72.  
 Ioh. 17.  
 Psal. 110.  
 Psal. 139.  
 Ephes. 4.

Esai. 53.

1. Iohan. 1.  
 1. Tim. 2.

Probatur,  
 quod Papa  
 negat Iesum  
 esse Christum

Lib. de Incarnat.



O R A T I O.

redemptionis nostræ causâ incarnatum, ut pro  
aduocatis, & Patronis, pro intercessoribus, & me-  
diatoribus, Sanctos & beatos cœlites, non Iesum  
Christum reputet: ut non sanguine Iesu Christi  
solo, sed operibus, & satisfactionibus nostris, non  
liuore Iesu Christi solo, sed liuore nostro nos pur-  
gari hæreticisimè profiteatur. Enimverò, plus-  
quàm Tiresianâ cæcitate laboret necessum est,  
qui non videat, Papam negare, quod Iesus sit  
Christus, Deus & Homo omnipotens, Sacerdos,  
Rex, Pastor, aduocatus & Mediator unicus! Eu-  
ge ergo Roberte, iterum suffragio tuo, Papam  
tuum, inclementissimum Clementem VIII. An-  
tichristum esse verissimum confirmasti. Euge ite-  
rum aniam præbuiisti, ut Papæ tui odio omnes  
Christiani se impleri & inebriari optent.

At enim, ubi Papa se pro Christo iactat? ubi  
se Christum haberi velle cupit? præsumitur?  
demonstratur? hoc nisi planum fecerimus, adhuc  
Iesuita noster Papam Romanum non esse Anti-  
christum gloriabitur. Mulsita Bellarmine pauli-  
sper, & interea aliquam precatiunculam ex Psal-  
terio Mariali ad D. Mariam, ad Sanctum Petrû,  
Paulum, Franciscum, Bernhardum demurmura:  
ego in Apricum idolum tuum sistam, eundemq:  
se pro Christo venditasse, inuictè demonstrabo.

Et

O R A T I O.

Et sanè, quòd juxta divinitatem, & divinam natu-  
 ram Papa Romanus Christus esse velit, id antea lu-  
 culentissimè evicimus, dum Papam sibi arrogare  
 jus, ac potentiam, ex nihilo aliquid faciendi, rerum  
 naturas immutandi, & invertendi, pro potestate ab-  
 solutâ agendi, ex Canonistarum libris probatum  
 dedimus. Nec est, quod fortè aliquis sacrificulus  
 ogganniat, illa de Pontifice Romano recensâ ex  
 scriptoribus Pontificijs emblemata, ideo non posse  
 Papæ notam Antichristi inurere, quia non ab ipso  
 Papa, sed ab alijs profecta sint. Ut enim Herodes ille  
 divinitus, tanquam blasphemus fuit percussus, eò  
 quòd applaudenti populo, dicenti de ipsius Sermo-  
 ne: vox Dei, & non hominis: non contradixisset:  
 Ita etiâ rectè & meritò omnes blasphemix Pōtificio,  
 rum adulatorum & Canonistarum, quas de Papæ  
 immensâ potestate jactant, ipsi Pontifici imputan-  
 tur. Si enim eas improbaret, publicis meherclè de-  
 beret Anathematismistales damnare blasphemias,  
 & summo studio repugnare, ne vel talia dicerentur,  
 vel crederentur: sicut Apostoli, Paulus, & Barnabas,  
 summo Zelo sese populo Lystrensi in Lycaoniâ op-  
 ponebāt, cūm populus eos esse Deos opinaretur, eis  
 que sacrificare vellet: Et sicut Angelus Iohannem  
 prohibebat, ne ei cultum adorationis, quippe Deo  
 soli competentem deferret. Proinde, quoties audis  
 vel legis, illa Papæ præconia, divinam majestatem  
 & potentiam ipsi attribuentia, toties cogita, Papam

Papa se pro  
 Christo ipso  
 venditat:  
 Ergo Papa  
 Antichristus  
 est.

Actor. 12.

Actor. 14.  
 Apoc. 19.  
 Verf. 10. &  
 Apoc. 22.  
 Verf. 10.

C

se Chris



O R A T I O.

se Christum facere secundum divinitatem: hoc est, se Antichristum palpandum proponere. Alioquin, si hæc improbaret, itidem anathematizaret quemadmodum in B. Lutheri scriptis sanctissimis, & omnium Evangelicorum libris Orthodoxis factitare solet. Quoad humanitatem autem, & humanam in Christo naturã, tam certò se Christum Papa haberi voluit, ut quod de Christo homine dicitur, Matth. II. Omnia tradita sunt mihi à patre meo, & Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, id per diabolicum, & inauditũ sacrilegium, de se dictum esse Papa profiteretur. Imò verò quid scrupulosiori investigatione opus est? In propatulo prostat hoc facinus: Christus se fundamentũ esse ait: Papa de se hoc interpretatur: Christus in nomine suo peccatorum remissionem annunciari jubet: Papa itidem in suo nomine indulgentias peccatorum præsentium, præteritorũ, & futurorum cõmunicare solet. A patre cœlesti de Christo dictum est: Hunc audite: Præsul Romanus ex aureo tripode ait: Me audite. Horresco auditores, dum hæc refero: quod eò proterviæ, eò impietatis, & blasphemix Romanus ille Cacodæmon devenerit, ut quæcunq; Christo, Deo, & homini, tam quò ad personã, quàm quò ad officium attributa leguntur, ea universa & singula de se interpretatus sit. Desine jam Iesuita murmurare, & audi sententiam: Papam tuum denuò Antichristum renunciaisti: denuò dignum illum effecisti, ut odio eius omnes Christianos imple.

Ephes. 2.

Actor. 10.

Matth. 3.  
& 17.

ORATIO.

impleri optem, precer, desiderem, ut eum ceu Diabolum ipsum fugiendum esse horter. Vobis hæc dixi, commilitones Ornatissimi, vobis hoc animal monstruosum depinxi, eo fine, ut voti mei tantò felicius, tantò velocius, compos esse queam. Ô igitur male dictum Papam! Ô igitur nefandam illam bestiam! Ô Antichristum illum ferocissimum! Quis jam illū deamet? Quis illum deosculetur? Quis eum amore complectatur? Animadvertitis, ni fallor, quod fallamini, quod pro Christi Vicario Antichristum, & sic pro successore Petri successorem Diaboli, pro Pastore Oecumenico, Impostorem Oecumenicum, pro Orthodoxo Theologo Oicodoxum, & hæreticissimum Marcologum, pro sectatore Paulino, insectatorem Pauli, pro homine nobis simili, mōstrum aliquod & fœdū *μαρμολύκειον*, h. e. incarnatum Diabolum, in Papa Romano deprehendistis. Hunc si amatis, ipsum amatis Diabolum: eius dogmata si sectamini, Diaboli mendacia suscipitis: si admiramini, blasphemias suspicitis. Hunc si odistis Deum, Prophetas, Apostolos, beatum Lutherum, & omnes Christianos diligitis: Hunc si vitatis: cōsortio beatorum cœlitum adjungemini: eius dogmata si cōtemnitis, spernitis, ex corde, ex animis eradicatoris, veritati sanctissimæ, adeoq; ipsi Christo portas bipatentes aperietis: in sūma, voto Christiano ex amussim respondebitis. Quiescat hīc Papa, & de loco in purgatorio sibi apto interea deliberet.

Execratio  
Papæ

Brevis

ἀνακρί-  
σις, quis

sit Papa.

Form. Con-

cord, pag.

320. 321. 323.

224. 327.

Edit. lati.

Anno 1582.

O R A T I O.

Altera pars  
Orationis de  
Sacramen-  
tarijs.

Nunc vos accedite, quos Sacramentariorum  
laudabili sanè nomine insignitos orbis Christia-  
nus conspicit, appropere, & quid de vobis futurum  
sit, accuratius attendite.

Sacramen-  
tarij, quocūq;  
nomine ve-  
niant, non  
sūt sub eodē  
confessionis  
Augustanæ  
sinceræ vex-  
illo.

Ne miremini quæso, Commilitones Ornatissi-  
mi, quod huic etiam genti Sacramentariæ sua dicti-  
tare emblemata laborabimus: quod à Calvinistis  
maleferiatis sibi cavendum esse pronuntiabimus.  
Non enim sive aperti, sive clancularij, sive Calvini-  
stæ, sive Philippistæ nominentur, sub eodem Confes-  
sionis nostræ Augustanæ vexillo, & præsidio mili-  
tant Sacramentarij.

Vide Dispu-  
tat. volumen  
Rev. D. D.  
Hunnij, di-  
sputat. 1.

Exierunt ex nobis, qui non fuerant de nobis, de-  
clinaverunt, à latere dextro ad sinistrum, periculo-  
sissimo præcipitio Sacramentarij ruerunt. Aedepol  
haud minori studio Calvinianos fugere, fugare, odif-  
se debemus, si veri Christiani, & hæredes æternæ cu-  
pimus esse beatitudinis, quàm pōtificios. Equè enim  
rauci sunt, æquè nauci sunt, blasphemij, impij, erro-  
nei, hæreticissimi. Mentior vobis Sacramentarij?  
præstolamini paulisper; viri politicè boni estis, veri-  
tatis tropheum mihi erigi patiemini. Vos interea au-  
ditores, sine præjudicio judices existite. Quos ergò  
ego homines, quos Ecclesia homines reputaverit il-  
los, qui Dei præpotētissimi præpotētissimā omni-  
potentiam perspicuè, sine rubore, inficiantur? sicut  
Classicus ille Sacramētarius Petrus Martyr eructat,  
ipsum Deum universâ suâ omnipotentia facere non  
posse

Sacramen-  
tarij æquè  
fugiendi  
quàm male-  
dici Papi-  
stæ.

Sacramen-  
tarij negant  
Dei infinitā  
omnipoten-  
tiam. Hæc  
diabolicam  
blasphemi-  
am!

in dial. con-  
tra D. Brent.  
fol. 5. 6 8.





O R A T I O.

posse ex triangulo quadrangulū, & ut corpus huma-  
nū plurib. in locis ubiq; præsens existat; quod ipsum  
Beza, Coryphæus Calvinistarum modernus, co-  
ram toto mundo effutire piaculo non duxit. quem  
reliqui manipulares socij, plenis tibijs concinentes,  
& applaudentes, diligentissimè sequuntur. An-  
non hoccine est blasphemare nomen Domini?  
eiusq; infinitam omnipotentiam finitæ potentia cre-  
pidinibus impietate impijssimâ concludere. Non-  
ne hoc est Spiritui sancto in os contradicere, qui a-  
pud DEVM nullum verbum impossibile esse pro-  
nunciavit. Luc. i v. 37. Deiq; potentiam tantam Nam. 11.  
asseruit, ut possit superabundanter facere, quàm pe- Exo. 6. v. 2.  
timus, aut cogitamus. Eph. 3. a deoq; manum di- יְהוָה  
vinam ad nulla invalidam, sancte attestatus est?  
Quare, quæso, Deus toties vocatur omnipotens,  
nisi quia potest omnia? inquit D. Augustinus lib.  
21. de civitate DEI. O effrenem igitur, Auditores,  
hanc in sacramentarijs blasphemiam, & vel solam  
dignam, quæ eos universis Christianis exosos red-  
dat. Quid? quod Tenebriones isti contra Servato-  
rem nostrum Iesum Christum, DEVM & Homi-  
nem infensissimo, & Diabolico furore insurgunt?  
ejusdem carnem sacratissimam, & Trinitatis fa-  
ctā πρόσωπον ex sublimi illâ, et verè diuinissima Ma-  
jestatis divinissimæ sede deturbare molientes. dum  
ad ravim usq; clamitant, propudiosâ temeritate,  
Carnem Iesu Christi, ad dexteræ divinæ Maiesta-



O R A T I O.

Durum est  
d Sacramen-  
tarij, contra  
stimulū cal-  
citare.

Pf. 8. Pf. 72.  
Pf. 110. I. Co  
15. Eph. 1.  
Ephes. 4.

1. Iohan. 4.

Quid peri-  
culorum in-  
sit dogmati  
Caluinisti-  
co.

1

2

Philipp. 2.

Coloss. 2.

tem infinitam, non magis quàm suam humanita-  
tem misellam, & sordidam collocatam esse: ita qui-  
dem, ut quemadmodum ipsis, uno tempore diversa  
loca occupare, sit impossibile: ita & carni Iesu Chri-  
sti id ipsum in omnem æternitatem factu possibile  
nō esse. Parce nobis hæc portentia referentib9. Ó par-  
ce nobis Domine Iesu Christe, Dñe gloriosissime;  
qui omnia præter patrem solum, & Spiritum san-  
ctum tibi subjecta possides, qui Deus & Homo in  
medio aduersariorum tuorum toti orbi præsides.  
Vos Auditores probate Spiritum hunc Sacramen-  
tarium, & quid portenti monstruosissimi alat, penitus  
examine. Non enim corporali aliquo beneficio af-  
seculas suos spoliat, sed æternæ gehennæ igne ætucsis-  
simo & æterno barathri inferno adficit. Veritatē pro-  
pheticā, & apostolicā delet: quæ vnanimiter profite-  
tur, huic Iesu Christo Homini datum esse nomen, su-  
pra omne nomen ut in nomine Iesu flectatur omne  
genu, coelestium, terrestrium & inferorum, omnisq;  
lingua fateatur, quod Iesus Christus sit Dominus ad  
gloriam Patris: Spiritus hic Sacramentarius Salua-  
torem nobis suffuratur: Nisi enim in Christo omnis  
plenitudo corporaliter habitaret, quī, quæso, sangui-  
ne suo preciosissimo nos redimere potuisset. Nunc-  
quid non omnipotentiam in hoc redemptionis opere  
desiderari constat. Abstrahit me genius ille Calui-  
nisticus à precum salutari exercitio: Nisi enim car-  
nem meam, & sanguinem meum in excelsis reside-  
re, vcta



O R A T I O.

re, vota, suspiria, preces, & supplicationes diuinissi-  
 mâ scientiâ eam exaudire, & infinitâ potentiâ ratas  
 efficere posse noverim, jam Christum Iesum non  
 Advocatum fidelem, sed Iudicem iustissimum habi-  
 turus sum. Hæc gangræna illa est, quæ latè, longèq;  
 serpit. Hoc venenum, & Toxicum Sacramentario-  
 rum est, quod Christiana corda cum æternæ salutis  
 dispendio inficere solet: Quid nunc dicam de pesti-  
 lentissimo illo sacrilegio, quo corpus & sanguinem  
 Domini nostri Iesu Christi tanquam thesaurum  
 Christianorum in cœlis, & in terris preciosissimum  
 ex Epulo Eucharistico Calviniani, & Cingliani, quâ  
 tum in ipsis est, suffurari consuescunt. Cum os il-  
 lud veritatis, in quo dolus nullus inventus & quod  
 mendacij vel ab hostibus suis redargui, nequit, Ie-  
 sus Christus, Testamenti loco nobis mediante pane,  
 & vino, corpus, & sanguinem suum H I C I N T E R -  
 RIS, I N M E N S A, ore corporis mysticè manducan-  
 dum, & bibendum legavit: inquit: accipite, edi-  
 te, bibite: Hoc est corpus meum, hic est sanguis me-  
 us: mox è specu Sacramentarij repunt, & invidiæ di-  
 abolico oestro perciti legatum hoc eripere volunt:  
 docentes non esse corpus Christi quod sub pane mâ-  
 ducas, non adesse hîc in terris: sed panem Te ore mâ-  
 ducare, ut autem corporis particeps fias, supra Cœ-  
 li Elementa fide volitandum esse! Egregios hos certè  
 Empæctas. Hoc si nō est illudere Deo, et quem misit.  
 Iesu

Sacramenta  
 rij se in-  
 comparabi-  
 les esse sacri-  
 legos demō.  
 strant. Esa.  
 53. Ioh. 8.

ἐπι τῆς  
 τραπέζης  
 inquit Canō  
 Nicenæ Sy-  
 nodi,



O R A T I O.

Iesu Christo, quid quicquam illusionem nuncupa-  
 verit. Neminem vestrum esse arbitror, qui quod  
 parens, quod frater in Testamento ei dono dede-  
 rat, sibi facile eripi patiatur: quid faciendum ergo  
 existimatis in Thesauro illo incomparabilis Testa-  
 menti Domini Iesu Christi retinendo? Vtiq; poti-  
 us corpus, & omnia bona temporalia, quam pabu-  
 lum hoc animæ sempiternum amittetis. Non pos-  
 sum, Auditores, quin sacramentarios iterum execra-  
 biles nominem, & vos, ut eosdem execremini, ro-  
 gem. Quod si plura argumenta blasphemiarum  
 Calvinisticarum desideratis, patienter, quæso pau-  
 lulum mihi patulas aures præbete.

Quia turba-  
 sti nos ideo  
 conturbet te  
 Dominus, in  
 quit Iosua sa-  
 crilego Ach-  
 ano Iof. 7. v.  
 25. Idem nos  
 dicimus sacri-  
 legis Sacramē-  
 tariis, Con-  
 cordiam fan-  
 ctam & Te-  
 stamentum  
 divinum tur-  
 bantibus.

Execratio  
 Sacramenta-  
 riorum.

NB. Calvini-  
 stæ Deum vo-  
 lunt commu-  
 tare in Dia-  
 bolum.  
 Eheu. impi-  
 issimam im-  
 pietatem.

Heu quàm horridas impietates homines isti  
 produnt impijssimi, dum Deum nostrum, solum  
 bonum, solum Clementissimum, in Diabolum, in  
 Tyrannum suis profanis vocibus commutare per-  
 gunt. Quod sub dispendio honestatis, veritatis, im-  
 mó vitæ meæ demōstraturum me sanctè polliceor.

Adesto Tu Calvine, Sacramentariorum Pa-  
 triarcha, & Propheta: adesto, & verba tua in prosce-  
 nium hujus Auditorij profer, quæ sic habent.

Calvinius. „  
 „ Lapsus est primus Homo, quia Dominus ita  
 „ expedire censuerit. Cur autem censuerit, nos latet,  
 „ lib. 3. Instit. cap. 21. §. 1. Idem, Cadit Homo, Dei  
 „ providentiâ sic ordinante. Ibidem §. 8. quæro,  
 „ vnde factum est, ut tot gentes, vnâ cum liberis eo-  
 rum

ORATIO.

rum infantibus æternæ morti involueret Lapsus, absq; remedio, nisi quia Deo ita visum est. Decretum quidem HORRIBILE, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet: & adeò præsciverit, quia Decreto suo sic ordinârat.

Bezam quoq; rogo, ut ipse suo testimonio, veritatis, & candoris laudem mihi tribuat: quod nolens, volens factitat, dum sic blasphemat: Quod subjicis, DEVM non tantùm ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis (hoc est ad peccata) prædestinasse quoscunq; libuerit, verum esse agnoscimus.

Contremiscat hîc terra: stupescant Elementa omnia! Ecquæ tandem impietas excogitabitur, quam Sacramentarij non amplectântur? Quid horrendius? quid in Sacrosanctam Clementissimam Trinitatem contumeliosius? quàm eam tùm damnationis sempiternæ, tùm ejusdem causarum, hoc est peccatorum, & incredulitatis auctricem, fautricem, cõstituere. Scilicet, hoc voluit Dominus apud Prophetam: non est DEVS iniquitatem volens: & cum Iehova juramento sacrosancto affirmaret: vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Hoc voluit D. Paulus Apostolus, cum scriberet: Deus vult omnes homines ad agnitionem veritatis pervenire, & salvos fieri. Puto vos tandem etiam animadvertere, cur Beatus Lutherus,

D

eum

O R A T I O.

eum Beatum dixerit, qui non ambulat in consilio  
 Cinglianorum, nec in viâ Sacramentariorum stetit,  
 nec in Cathedrâ Tigurinorum consedit: puto vos  
 tandem intelligere, cur Sacramentarios, non minus,  
 ac pontificios, atq; adeò sicut ipsum Diabolum, fu-  
 giendos esse, tam intrepidè affirmârim: quippè, apud  
 quos omnem pietatem erga DEVM, & verbum eius,  
 nec non reverentiam erga Lutherum nostrum Bea-  
 tissimum Herôa, & Zelotem incomparabili laude  
 præstantissimum, Virum à Deo, quâ auctoritatem,  
 quâ miranda dona refertissimum, exulare, & tabes-  
 cere nimis evidenter patet. Atque hoc est meum  
 Symbolum, quo vos, commilitones, & collegas ju-  
 cundissimos donare, donatos dimittere volebam.  
 Feci, quicquid & hucusq; , & præcipuè jam feci, ro-  
 gatus, in vestri gratiam, meæq; erga vos declaran-  
 dæ benevolentiaë causâ. Quod si pro signo quoq;  
 gratitudinis reputabitis, erit quod mihi gratuler,  
 Vos laudem & novo vinculo me vobis devinciam:  
 ipsi certè veritati plurimum hâc in parte dederitis.  
 Agnosco enim, & agnovi vestrum in me favorem,  
 vel exinde solum, quòd in hoc meo jam finiendo  
 exercitio frequentissimi, & attentissimi semper adfu-  
 istis: id quod ut me alacriorem in munere meo red-  
 didit, ita gratitudinem pro hoc officio nunc qua-  
 litercunq; ostendendam verissimè coëgit.

Cano

O R A T I O.

Cano jam receptui, si prius vnicum expedire-  
 ro: Gratias enim ago inprimis immortales Trini-  
 tati Sacratissimæ, sub cuius auspicijs, disputatio-  
 num nostrarum <sup>de fide</sup>, & feliciter cæpta, & felicissi-  
 mè terminata est. Quicquid Orthodoxi, quicquid pu-  
 ri, quicquid Lutherani dictatum est, non mihi, ne  
 in minimis quidem, sed in totum soli DEO sa-  
 pientissimo acceptum ferri volo. Huius certè fretus  
 præsidio, provinciam hanc difficilimam in me susce-  
 pi, huius suffultus gratiâ, eandem adornavi: ita qui-  
 dem, ut si non secundum ambitionem, & <sup>ἀνθάδα</sup>  
<sup>αὐτῶν</sup> sed secundum conscientiam loqui liceat, affir-  
 mare non dubitem, me eorum, quæ ex ore meo do-  
 gmatica egressa sunt, rumpantur hîc illa omnium  
 Invidorum, rationem redditurum, in die novissi-  
 mo, coram Tribunali Servatoris, & Doctoris mei,  
 Doñi Iesu Christi: cui cum Patre, & Spiritu Sancto  
 sit Laus, Honor, Gloria, & gratiarum actio in sem-  
 piternas seculorum æternitates Amen.

Gratiarum  
 Actio ad SS.  
 Trinitatem.

Porro non ingrati simus erga Præceptores no-  
 stros observandissimos: Theologos huius Acade-  
 miæ sincerissimos, eruditionis, & iudicij laude cele-  
 berrimos: quorum speciali privilegio, & indultu, in-  
 stauratio istius collegij, benignissimè concessa:  
 & disputationum propositarum censura accurra-  
 ta fideliter communicata est. Quibus ani-  
 mum observantem, studiosum, officiosissimum  
 debitæ

Gratiarum  
 Actio. erga  
 Reverendiss.  
 Colleg. Theo-  
 olog. VVite-  
 bergense.



O R A T I O.

Gratiarum  
Actio erga  
Collegas.

debitæ gratitudinis loco deferimus, pro eorundem  
diuturnâ vitâ, incolumitate, & felicitate, tam tem-  
porali, quàm æternâ, DEVM Misericordissimum,  
diligenter singuli nos exoratuos, pollicentes. Tan-  
dem ad vos iterum me accingo, commilitones, &  
collegas meos dilectissimos: quibus gratias solen-  
niter ago, & habeo maximas: tum quod me indig-  
num, Præsidis vices gravissimas subire delegeritis:  
tum quod frequentissimâ semper, ad finem ulq̃, fre-  
quentiâ, attentissimaq̃, attentione, meum exerci-  
tium cohonestare, non dedignati fuistis: officiosè  
rogans, ut tenuitatem ingenij mei, bono animo in-  
terpretari: rectè dicta, æquâ lance ponderare, non  
susplicere, sed saltem suscipere, vestrisq̃ precibus ad  
DEVM me vobis commendatissimum habere ve-  
litis. Quibus universis, & singulis quovis tempore,  
& loco mea regratificandi officia prolixè promitto,  
& polliceor, Amen.

*Laus, & perennis gloria, Deo patri, Filio,*  
*& Spiritui Sancto.*

*Amen.*

*Ani*



Animal Iesuiticum, breviter de  
scriptum.

**I**N terris animal quoddam reperire licebit,  
Quod cupit à Iesu nomen habere suum.  
Est animal nigrum, versutum, at in utile pondus  
Publica si spectes commoda, siq; Deum.  
Impendit Satana fidum, assiduumq; laborem,  
Illius ac operas promovet, atq; fovet  
Sapius à furijs agitur, sapius ardet  
Perdere, quos penes est unica vera fides.  
Non nudo verbo, sed ferro certat & igni,  
Efficit, ut vis præ jure valere queat.  
Ehem bellum animal; dic nùm rationis id expers?  
Dic fortè humani num quid inesse putes?  
Si proferre licet, quod res est, horrida valde  
Apparet, Satana, bestia, Patre, sata.  
Nil nisi quod falsum, quodq; execrabile dicit,  
Nil nisi quod verà religionem vacat.  
Templa, preces sacras, altaria, thura, Deumq;  
Et verbo & factis commaculare solet.  
Ehem bellum animal! dic id ratione carere,  
Et dic humani prorsus inesse nihil.

D 3. Nequities


*Nequities in eo scelerata, insania prava  
Regnat, seruities crassa, ferina, viget.  
Nunc Iesuvita vos ò animalcula pulcra,  
Excrementa Papa, caraq; olet a stygis,  
Divinate, an non & nomine & omine tacti  
Sitis, siq; libet, ista negare, licet.  
Sic tamen ut demonstretis, me dicere falsa,  
Et vos, quod factu non pote, vera loqui.*

**Fecit in honorem debitum omnium Iesuitarum**


*Matthias Hoë ab Hoëneck. S S.  
Theolog. Candidatur*

**F I N I S.**











65 966

AB 65966

VD 17

ULB Halle  
001 972 804

3




Kopiert zur ganzen  
Bauzeit

1/6.9.88

Sb.

Reise






Handwritten text on the spine, likely a title or list of contents, written in a cursive script. Legible words include:  
Hun...  
An...  
Jacob...  
Hun...  
An...







4

SOLIDA  
IVSTA, ET ORTHO-  
DOXA DETESTATIO PA-  
PÆ ET CALVINISTARVM,  
IN QVA INVICTE DE-  
MONSTRATVR, QVID ABOMINA-  
TIONVM, ET BLASPHEMIARVM, DOGMATA  
*utriusque fecis, Papistica & Sacramenta-  
ria, contineant.*

CONCINNATA, ET  
*UViteberga in sine Collegij privati Theologici  
recitata: Iam verò*

Autoritate & approbatione Reverendissimæ  
Facultatis Theologicæ in Acad. VViteb.

*ad rogatum amicorum publicata,*

*ab Authore*

**MATTHIA HOE AB HOENECK,**

AVSTRIACO, SS. THEOLOGICÆ  
CANDIDATO.

LECTOR I. S.

*Qui vis nosse Papam, qui Calvinistica Monstra  
Scire cupis, chartam hanc volve, revolve, SCIES.*

**UVITEBERGÆ**

*Typis Zachariae Lehmanni. Anno 1601.*

5. 2.